

**DISPUTATIONUM ZOO-
LOGICARUM:**

Publicè ante hac habitarum,

De

**Basilisco, Unicornu,
Phoenice, Behemoth - & Levia-
than, Dracone, ac Araneâ,
HEXAS:**

A U T O R E

**M. GEORG. CASP. KIRCH-
MAIERO,**

**Facultat. Philos. in Academia
Witteberg. ADIUNCTO.**



WITTEBERGÆ,

**Sumptibus Hæred. JOHANNIS BERGERI,
Typis Hæred. MELCHIORIS OELSCHLE-
GELII, ANNO M.DC.LXI.**



DISPUTATIO II.

De

UNICORNU,

Respondente

JOHANNE FRIDERICO Subrigt
Bernstadiensi Silesio.

PRO DROMUS.

Paradisiacas inter amoenitates, non
omnino postrema fuerat, animanti-
um, quâ grandiorum, quâ minutiorum,
Homini primævo, ad utrumq; famulanti-
um, jucundissima adfectus. Vidisses i-
bi, dictoocius apparuisse Leones genero-
sissimos, Elephantes vastissimos, fortis-
simosq; cum Rhinoceroses, tum Mono-
cerotes, jugumq; ab humanâ manû im-
poni sibi passos. Sed & animalia alia,
quorum dotes innumere, pulchritudo in-
effabilis, ad mandatum gloriosi Condi-
toris, approperasse, nominaq; naturis suis
convenientia reportasse, animadvertis-
ses. Prima hac animalium brutorum
Syno-

Synodus. Altera luctuosa quodammodo,
 sed & ipsa summe admirabilis. Postea-
 quam enim se verissimas exardesceret in-
 iras, Numen justissimum, propter intole-
 rabilia mortalium flagitia, ultricibusq;
 aquis, scelera eluiturus, deperdere faci-
 norosos decrevisset, procuratore Jeho-
 wa, multa animalium (piscibus enim
 haud erat opus) convocabantur paria,
 inq; arcam nuperrime exstructam, ut in
 eadem sarta tecta essent, recipiebantur.
 Quo cum sodes animo fuisti, cum inter
 animalium, omnis generis cohortes, ho-
 spitaretur, Noachae? cum, intus foetor
 opplesset nares, excus cadaverosa fluita-
 ret hominum belluarumq; strages, fluo-
 stusq; decumanæ mortem minarentur
 praesentissimam. Non, credo, tripudio
 abas, sed perdius ac pernox Nummi al-
 ligabas vota. Hoc confusus, non secu-
 rus tantummodo, sed plenè planèq; tutus
 esse poteras. DEUS te consolatus est,
 DEUS auxiliatus tibi, DEUS tibi tuisq;
 affatim patrocinatus. Dic age, utrum
 non sit nefas statuere, unicam speciem
 tuam perisse & interuisse? Tanto, tantas,
 tum, pro omnibus gerente curas, Domi-
 no. Sed ut nulla tam formosa facies est,
 quam non apparuit, spurco ore anus; sic

*tam sanctum nihil, quod non violenti
audaces. Sermo, toto propemodum fre-
quentatus orbe est, Unicornu diluvio
periisse omnino, nullumq, de Monocero
tum specie superesse amplius Individuum.
Vindicabimus injuriam, & dignam ol-
la procurabimus, adjuvare DEO, oper-
culum.*



CAP. I.

CAPVT I. ELENCHUS.

- | | |
|--|--|
| 1. Monocerotis notatio & formatio. | Castigatur Cardanus. |
| 2. Unicornu dicitur pars Crucis Christi. | 8. Scarabeos unicornes, inter Salernũ & Neapolin vidit Bartholinus. |
| 3. Sumitur pro minerali. | 9. Asinus unicornis Indicus. |
| 4. Continuatur πο-
λυσημίας evolutionio. | 10. Equus Unicornis Saxonia Elect. Divo JOH. GEORG. I. donatus. Similes visi sæpè sunt ab aliis. |
| 5. Dantur unicornes pisces. | 11. Inveniuntur Boves, Vacca |
| 6. Lusitani viderunt aves unicornes. | |
| 7. Monocerotes Vipera, quibus Cleopatra usa est. | |

unicornes. Hæc
referuntur Bo
russia Bisontes.

12. Mirabile a
nimal Oryx ex
plicatur.

13. Rhinoceros exi
tialis Elephanti
hostis exponi
tur.

14. Non confun

dendo Rhinoceros,
cum Monocerote.
Cardanus accusa
tur. Defenditur.

Laus. Scaligeri.
15. Unicornu sub
stantiæ ὁ κατ'
ἔξοχην b. l. in
vestigatur. Ejus
Synonyma.

S. I. Monoceros, vox origine gra
eca est. Ex μόνος enim & κέρας, ortum
nomen Μονόκερας, (ερωτ.) Attico
pronunciandi more, proparoxyto
num. Latinis eodem prorsus sensu,
Unicornu, quod unico duntaxat in
structum cornu fiet, audit. Aliis Uni
cornus, utpote Bartholomeo & Angli
co, Nicolao Perotto & Eusebio Nierem
bergio dicitur. Nestor Novariensis sub
voc. unic. p. 102. Unicornium quo
que declinari posse ait. Tancundem
ferè de Monocerote refert Francise.
Joh. de Janua, dum Monocerus, Mo
noceri, formari posse, probat. Sed
hæc Philobogorū demandanda Scho
lis. Nostrum est πολυσχηµίαν vocise
volvere sollicitè: in quâ tantò quidem
pro

prolixiori desudandum curâ est, quâ-
 to majori nobis futuro emolumento
 esse potest, ab Æquivocationum La-
 byrinthis expedita veritas. Ego enim
 sic statuo, plerasque illas, & tantum
 non immanes cum obscuritates, cum
 etiam fabulas de Monocerote, non
 nisi ex supinâ vocum confusione pro-
 pullulasse.

§. II. Universalissimè loquendo,
 Unicornu dicitur, tam de rebus ar-
 tificialibus, quàm naturalibus. Ad pri-
 mam classem spectat, quando media
 stipitis pars, in Cruce Christi, Unicornu,
 testibus Ireneo, Justino & Tertulli-
 ano appellata fuit. Occasionem Ter-
 tulliano præbuit locus Deut. XXXIII,
 17. Verba eius sunt ex cap. XI. Lib.
 contra Jud. Christus, inquit, in illo si-
 gnificabatur, taurus, ob utramq; dispositio-
 nem, alius ferus, ut iudex, alius mansuetus,
 ut Salvator, cujus Cornua essent crucis
 extrema &c. Unicornu autem media sti-
 pitis palus. Quæ tamen Tertulliani
 verba, non exiguam Criticis peperere
 curiositatem. Expressit verò la-
 culenter sensum præter D. Georg. Ca-
 lixt, in not. ad Lips. de Cruce, Dn. Dis-
 cernus

berus in Animadvers. ad Crucifixio-
nem. Unicornu enim ideo Crucifi-
la dicebatur, *partim* quod in curvum
emineat & acurunt: *partim* quod si-
ne part, in medio stipitis, velut in
mediâ animalis fronte exstet. Vid. Ma-
gnus Magni Bartholomæi Filius cap. 23.
q. 149. & seqq. de Unicornu.

§ III. In ordine verò *naturalium*,
accipitur vel pro *minerâ*, vel *animali*.
Scilicet in *Bohemiâ*, *Thuringiâ*, *Mone-*
viâ & quibusdam *Misniz* locis, lapides
e mineris, aliquibus effodiuntur, in-
signem contra Epilepsiam, item il-
lam, epidemiam, febres malignas,
aliosque deterioris notæ morbos, vir-
tutem obtinentes. Audendus Ger-
manicæ Esculapius SENNERTUS est
inter lapides porosos primo loco merita
explicandus ille, qui vulgò pro Mono-
serotia Cornu habetur; alii, Cornu fos-
sile, appellant. In Thuringiâ enim, ut &
Bohemiâ, & aliis locis, inveniuntur ta-
lia Cornua; immo non solum Cornua
sed & alia ossa quæ ad vulnera & ossa
fracta conglutinanda ulcenaq, sananda,
utilia esse prædicantur. In primis (au-
tem) Cornua ista, non parum in Epile-
psiâ

Scient.

Nat. lib. 4.

c. 4. p. 423.

psia, febribus malignis, peste, alvi torminibus in infantibus, aliisque morbis sanandis, habere usum, experientia docuit. Unde etiam vulgo pro Cornu Monocerotis venditantur. Verum à genuino Monocerotis Cornu facile discerni possunt. Hinc fabulæ occasio est data, totam Monocerotum speciem, in diluvio interiisse, cum subinde Cornua aquarum illuvie in Terram depressa, & diu hætenus sepulta, in multis redinveniuntur locis. Sed de commento hoc agemus infra.

§. IV. Nunc perspicue & methodice est ostendendum, (prius enim non eluctabimur ad exoptatum veritatis portum, quam ubi ambiguitatum præternavigaverimus Mæandros) quot modis inter animalium cohortes, vocabulum Monocerotis acceptetur. Dantur nimirum inter & natatilia, & volatilia, & reptilia, & insecta, & gressilia, quæ Unicornu denominationem sortiuntur.

§. V. Natatilia quod concernit, adduxerunt secum Batavi ex India Orientali reduces An. 1601. bestiam maritimam, ingenti insignitam Cornu,

ejus iconem nobis doctissimus Vir
Clusius lib. 2. exot. c. 27. reliquit. *Hip-*
potami genus quoddam fuisse, adfir-
 mant alii, alii aliter sentiunt. Quic-
 quid sit, res certa est. Anno 1576. *Mar-*
einus Forbissenus in Oceano Septentri-
 onali, inter ingentes glaciei montes,
 Unicornem piscem, cornu, duabus fe-
 re ulnis, è naso protuberante, offen-
 dit, *Casp. ab Ens* lib. 2. hist. Ind. Occid.
 c. 26. *Olaus* M. l. 21. c. 10. inquit:
Monoceros est monstrum (mallem ab-
 stinuisset injuriosa hæc, in naturam,
 vocc. *Olaus*), *marinum, habens in*
fronte, Cornu maximum, quo naves ob-
vias penetrare possit, ac destruere & ho-
minum multitudinem perdere; sed in hoc,
pietas divini Numinis, navigantibus pro-
vidit, cum ferox sit hæc bellua, tarditas
sua, quam habet maximam, provisæ si-
mentibus ejus accessum, fugam concedit.
 Hujus etiam piscis meminit in Mono-
 cerote *Albertus M. Rondeletius*, a-
 runt. Conf. etiam *Clariss. OLEAR.* l. 3.
Itiner. Pers. c. 4. fol. 175.
 Aliq; qui de piscibus copiosè scripse-
 S. VI. Ex *Volatiliu* ordine, ad-
 duxit Unicornu *Ælianus* lib. 17. hist.
 Uni.

animal, c. 10. Similiter in *Æthiopiæ*,
Unicornes reperiri aves, *Dimon*, (Scrip-
tor Historiæ Persicæ, ut ex Cornel.
Nepotis Conone, & potissimum Athe-
næo didicimus,) memorat. *Lusim-
nia* visa est, enavigato mari rubro, cum
Solimannus Eunuchus classem cir-
cumduceret, avis unicornis, teste *Lu-
dovico de Urreta*, Monacho Francisc. la-
hist. *Æthiopicæ* .p. 344. Mirabile pro-
fecto est, quod p. 50. loc. supra cit. *Tho-
mas Bartholinus*, Caspari Filius refert:
Basiliscum, unico in fronte, Cornu conspi-
cuum, *Roma*, Gentium naturæq, Mater,
non ita pridem, eâ specie tulit, quam mihi
pictor (ærea enim lamina expressam
in ibidem repræsentat) exhibuit,

§. VII. Ex *Reptilium* phalange,
multa, nec in jucunda, si prolixitati
studendum foret, adduci ex *Alberto
Magno* & *Ulyssæ Aldrovando* possent.
Præ omnibus tamen adducendus *Jo-
annis Veslingij*, illus inquam, inter
Anatomicos, nostræ ætatis, miraculi,
locus est, quo apud Circumforaneos
Cairi, Monocerotes viperas, teter-
rimo veneno præditas, aliquoties à se
visas fuisse, apud Bartholin. pag. 60.
testatur. *Mameliskias* sive Regias nun-

eupabant Aegyptii, & his ipsis ad ubere applicatis, Cleopatram olim fuisse usam, memorabant. In Subtilitatum libb. quendā, ē Solani foliis prodeuntem, viridi & croceo interdistingtum colore, Cornu, in fronte, ultra digiti lōgitudinē generētē vermiculū, aſſerit Cardanus. Exiſtimo confundi à Cardano os, & id quod analogum eſt cartilagini. De Cornu quæritur, unde animal denominationem quoq; trahit, non de quācunq; tenaci, ſpiſſāq; in cartilaginem, ſucceſſu temporis abeuntem, materiā. Id quod & Caponibus ſeu caſtratis gallis accidere, nec novum eſt, nec mirum. Nec multum hīc etiam moramur doctiſſimi Viri *Fabij Columne* Erucam Unicornē, quam Βυκαμπην ipſe, ex intendendi ſigno Εϛ, & τῆς καμπῆς, quæ noci ſeta crucæ forte Latinis dicitur, ſalutat.

§. VIII. Sunt & inſectis ſua quædā Unicornia. *Scarabeorum* (non bicornium iſtorum, quos Germani, *Echtrōer* vocant] datur ſpecies rarior, & hec minꝰ inter Autores frequentata, Illyricis tamen communisſima.

fima. Post Olam Wormium, audi-
 edus αὐτῶν πτης. Vir. πολυμαθὴς αὐτῶν.
 Bartholinus est: In Campania, inquit,
 Salernum inter & Neapolin, peregrinan-
 tibus nobis occurrat ea facie, quæ depin-
 ximus. Unicornem vocavi. præter da-
 ctissimorum, Aldrovandi & Imperati
 sententiam, quibus nomine Rhinocerotis
 rectius fortasse venit depictus. Verunta-
 men his missis, (misso etiam ampli-
 bio Camphor.) quadrupedia, ut, si
 fortè vocabulorum ancipitia, quæ
 offendiculo plurimis atq; errori fue-
 runt, offensa explanentur, ducenda
 ad examen.

§. IX. Tanta hîc noviter occurrit
 varietas, ut non mirer amplius, quî
 factum, quod in describenda Mono-
 cerotis natura, nusquam inter se con-
 veniant Autores. Unde multis, fa-
 bulæ orta suspicio, plurimis dubia
 hæsere, & nullis non anxie, circa
 Unicornem, curæ. Datur namque
 (1.) Unicornem aspinam, sive Asinum Uni-
 cornis Indicum. Et hoc genus Mono-
 cerotis à Plinio cum primis lib. 11. c. 37.
 hist. nat. atq; Aristot. 1. 2. c. 1. 1. 3. c. 2. de-
 cantatissimum est. Et licet pro Chy-
 me-

merâ, hunc aſinum Monocerotem ſolipedem, habeat iuratiſſimus Unicornum hoſtis *Andreas Marinus*, quod à nullis, noſtro hoc ſeculo, qui Indos & alias, Veteribus ignotas, adiverunt terras, viſus ſit ac obſervatus; fruſta tamen eſt ac accuratè, reſponſum ei p. 118. à Celeberrimo Bartholino fuit.

§. X. Adhæc (2.) Equus Monocerotes inveniri, extra omnem dubitationis aleam eſt. Pauciſſimi præterfluxère anni, quando glorioliſſimæ memoriz, Electori Saxoniz, Divo JOH GEORG. I. à quodam, Kracchio, qui ſuprema, inter Cæſareanos meruerat ſtipendia, nec ignotus *Vraſlaviſibus* eſſe poteſt, equus quidam unicornis, cui annuatim ſemel deciduum Cornu renaſcebatur, dono datus eſt. De *Strabonis*, *Plinij* & *Solini* teſtimoniis, cum ſuſpecta nonnullis habeantur, (quanquàm accuſare, non ſit refutare) nihil hîc monebimus. Clariffimus Vir, *Madritenſis in Hiſpaniâ Phyſiolog. Profeſſor*, *Johannes Eusebius Nierembergius* lib. 7. hiſt. nat. Adm. c. 2. ſc in aulâ Philippiçâ, equum quen-

quendam cornutum ex Indiâ allatum
vidisse, ait. Instabulo *Principis Scia-
liani*, equum vidit, (testante Tho-
mâ Bartholino) superioribus annis.
Leo Allatium, magnitudine exilem, sed
ferociâ summum.

§. XI. Nec (3.) boves non sunt in
naturâ unicornes. *Plinium*, qui vo-
let, adeat l. 8. c. 21. Mihi ejus certè in-
constancia, dum nunc solos Asinos
Indicos, nunc boves etiam cornutos
concedit, arridere nequit. Natalis
his tamen locus *Æthiopia* est, & *India*.
Cesar etiam de bell. Gall. in *Hercyniâ sil-
vâ*, boves in mediâ fronte, celsum, &
directum quoddam cornu gestantes,
reperiri statuit. Sed & *Vaccas Unicornes*
alibi nutriri, certum est. Auscul-
tandum *Scaligero* hic putamus: in
eodem, quem supra memoravimus, agro,
Zeila oppidi, quod est in *Æthiopia*, vac-
ca sunt colore atro, cum cervinis corni-
bus. Quas ideo *Cervias* appellavimus.
Aliis nimirum è fronte mediâ prodit
Cornu, pedali majq. curvitate supina &c.
Hec ex relatione *Ludovici Var-
tomanni*, *Scaliger*, cui *Zeila* apud *Sul-
tanum* talismodi sunt visæ vacca. Huc

non

Exerc.
206. Sect. 7.

non incommodè retulerimus *Bifontes*
Unicornes in Borussia *Tauros*, quos
Germani vulgò, die *Ubrochsen* vocant.
Vid. de his Erasmus Stella l. 1. Antiq
Boruss. à calce. Bartholinus Bifontem
fuisse, inq; Borussia frequentem Uni-
cornem, eundem esse putat, cum illis
quos in Herciniâ silvâ oberrare, Ca-
sar scripsit.

§. XII. Sed & (4.) non prætere-
undus ORYX monoceros est. ORYX
autem, (ut nomen explicemus) à
fodiendo dictus. Namq; vel ob requi-
em, vel petulantiam, sæpius apro-
rum instar, eruit terram, non capite,
non ore, nec cornu, sed pedibus, ne o-
rientem Solem aut Lunam intueatur,
nigriori facie se obruturus. Oryx,
cui animantium speciei accenseri de-
beat, divortia sententiarum videas.
Plinius lib. 11. c. 37. & *Columell.* l. 1. c. 1.
ad Cervorum sortem: alii ad asini-
num genus referunt. Quicquid sit,
est & manet Unicornis, Oryx. Patria
ejus *Syria*, *Palästina*, *Getulia* Africa.
Inter delicatiora haberi cum gula mi-
nisteria, ex *Juvenali* discimus & *Mar-
tiali*. *Juvenalis* canit:

Et

*Et Scythica volucres & Phœnicæ
pterus ingens.*

Et Gerulus Oryx. — —

Martialis verò lib. 13. epigram. 95.

Marutinarum non ultima præda
ferarum.

Savus Oryx, constat quòd mihi
morte canum.

Sits patientissimus Oryx, magnitu-
do ei mediocris, color caprino simi-
lis. Egyptij olim Reges, orientis
Solis tempus accuratè exploraturi,
Oryges conscendere solebant: mis-
si horologio. Scio tamen negari à
doctissimo *Salmasio*, quòd ob corpo-
ris exilitatem vehere, revehereq; ses-
sorem potuerit Oryx. Sed hæc huc non
spectant.

S. XIII. Solus, nì fallor, nobis
(5.) restat *Rhinoceros*. Vox primò,
post, res ipsa, denique confusio ejus
cum Monocero, explicanda. Rhi-
noceros verò *ῥῖνός τε ἰνός*, sive na-
sus, & *κέρας*, Cornu, quod minacissi-
mum, atq; Elephantò etiam ferale, è
naribus prominulum gerit, dicitur.
Unde homines nasuti, qui liberalis-
simi, juxta *Physiognomòs*, aliorum
ec.

reprehensores sunt & adunco omnia
suspendere naso solent, Rhinocero-
tis nasum habere dicuntur. Martiali, l.
1. Epigr. 4.

Majores nusquam ronchi, juve-
nesq; senesq;

Et pueri nasum Rhinocerotis
habent.

Rhinoceros humilior aliquantum E-
lephanto, si altitudinem, si longitu-
dinem spectes, par est. Ungulas bi-
sulcas habet, buxi coloris tergum,
eoq; ab impenetrabili duritie, dupli-
cato, tanquam perpetuo thorace, *ut*
verbis Camerarij c. 25. l. 1. hor. fabrisiv.
qui & ipse ex Paulo Javio ista petijt, ex
Camerario vero B. Franzini in histor. a-
nimal. c. 11. p. 110.) protegitur, ar-
maturq; pedali osseo, cornu supra
nares eminente, quo ferire atq; trans-
fodere, sub ventre, Elephantum,
ασπινδοι hostem suum solet. Ineredi-
bilem namq; natura parens, ex occul-
ta qualicatum vi antipathiam, inter
Elephantum & Rhinocerotem fecit.
Anno salutis 1513. delatus unus ad Lusi-
taniz Regem, Calendis Maii, quem
Rex biennio post, spectaculi causa,
Ulys-

Ulyssipona cum Elephanto commi-
sit, vicitq; Rhinoceros. Atq; hoc
tam certum, ut non dubitandum am-
plius. Vid. post *Paulum Jovium*, *Carda-*
ni l. x. Subt. de anim. perfect. fol. m. 328.
Scalig. Exercit. 205. sect. i. *Franz.* loc. cit.
Adde *Cl. Thom. Bartholin.* de Unicornu,
inter addenda ad pag. 147. De
Octavio Augusto idem discimus ex
Suetonio cap. 43. Ut proinde frustra
sint, qui temerè hoc negant. Vidit idē
Ann. 1515. *Ulyssip.* iterum sub *Emma-*
nuele Rege, *Damianus à Goës* Eques
Lusitanus.

§. XIV. Cavendum autem sedulò,
ne cum Monocerote, Rhinoceros
confundatur, quod passim commis-
sum ad antiquis fuisse, legas. Ejus-
dem errari, reum agit *Scaliger* *Carda-*
nus exerc. 205. sect. i. inquiens: *quo-*
nam malo fero, à Grammaticorum fe-
relà, toties subductus, in Philosophorum
plagas incidisti? Nequeo tibi, Cardane
opisculari, qui Monocerotem sub Rhino-
cerotis nomine pinxisti: quum dua sine
bellæ longè distinctissima. Hæc *Scaiger*,
quem tanti nos alioquin veneramur.
quanti sumus, ille Orbis Domitor,
D Home-

Homerum. Nemo enim subtilior facile aut accuratior Scaligero, me iudice, philosophus. Sit igitur in benedictione, memoria ejusdem, hic interim non defendam ipsum. Profecto injuriam Cardano intulit. Contrarium enim Cardanus lib. X. fol. m. 326. Edit. Basil. per Henric. Petri edita, defendit. Posteaquam enim Rhinoceros definivisset, & ad Monocerotem accessum parare destinasset, hæc interserit: *Constat, hunc* (scilicet Rhinocerotem, de quo hætenus loquebatur) *longè alium esse à Monocero, cum quo, SOLUM NOMINIS SIMILITUDINE colludit.* Nisi forte ad alium Cardani locum attendat Scaliger, qualem tamen nullibi in eo deprehendere licuit.

§. XV. Multas huc usq; , Monocerotis spe cies habuimus. Quanquam non tam substantivè, quam adjectivè ita nominatas. Nunc post generaliter sic dicta Unicornia animalia, id nobis indagandum restat, quod *καὶ ἑξοχῆν*, Latinis Unicornu, Græcis *μονόκερως*, Ebraeis *אֶיֶן* Germanis, *das Einhorn* / Gallis *Lycotou*, Italis *Allicorno*

torno & Lioncorno, aliis aliter con-
suevit appellari. Hoc quid sit, ubi
sit, & quibus præditum affectionibus,
nunc porro indagandam restat. Fiat
promde.

CAP. II. ELENCHUS.

- | | |
|--|---|
| 1. Definitur Uni-
cornu. | Ethiopia atq;
Indæ incolæ. |
| 2. Indomitam Mo-
cerotis ferociam
Deus ipse ad-
struit. Est ani-
mal Solivagum.
Examinatur I-
dash, Aga, Ora-
toris Turcici te-
stimonium. | Duo Mæcæba
vidit Unicornia,
Nobilissimus
Vartomannus.
Persarum Rex
multa alit. |
| 3. Unicornia Deo
ipso commenda-
tur ob fortitu-
dinem & celeri-
tatem. | 5. Magnitudo fi-
gura, habitus cor-
poris, voxq; Mo-
nocerotis addu-
cantur. |
| 4. Est Arabia, Sy-
riæ, Tartaria, | 6. Negliguntur nõ-
nullorum vitili-
gationes. Da-
tur ratio. Excen- |

fatur & conciliatur Vartomānus.

7. Confirmatur argumentis existentia Monocerotis.

8. Magnates non destituuntur Unicornibus. Visitar Unicornu. Dresda. Fridrichsburgi in Dania. Duo vidit Aldrovandus.

9. Standum est experientiis, sen-

sibus & historica fide.

10. Refutatur fabula, quod diluvio interierit Unicornu.

11. Utrum Unicornu sit Alexipharmacu univetsale?

12. Quomodo dignosci Unicornu verum ab adulterino possit?

13. Nota ad Lectorem.

§. I. Unicornu (quo de in presentiloquimur) est, brutum quadrupes, unico eod, pralongo cornu pradiatum in fronte, indomitum, ferocissimum, solitarium, fortissimum, celerrimum, Arabia, Syria, Aethiopia atque India resqua incolens, Equi magnitudinem, & jubam: caput, pedes, crura cervina, candam caprinam aut suillam habens, dirisssimamq, vocem edens. Formam animalis,

malis, ut omnium rerum, homine excepto, à priori ignoramus. Definitionem ea propter accidentalem, à proprietatibus & notis quibusdam distinctivis sumtam, eamque prolixiorē damus. Ut possumus, non, ut debebamus, (aliter enim non licet] procedimus. Brutum quod sit, quod quadrupes, quodque unico in fronte insignitum cornu, dubio vacat omni. De nobilitate Cornu istius dicemus infra in peculiaribus nonnullis questionum appendicibus. Sequentia verò probationibus corroboranda.

§. II. Diximus *Indomitum & ferocissimum*. Dicit tantundem, ad Jobum, DEUS ipse : *nunquid volet Monoceros* (NB. perperam nonnulli pro Monocerote, Rhinocerotem, in voce  hic & alibi substituunt, contra quos, præter Lutherum, stat versio LXX. Interpretum, Gallorum, Italorum, Hispanorum, Anglorum, Belgarum, ut de Drusio, Schindlero, Flacio aliisque nihil addam ultra) *nunquid, inquam, volet Monoceros, servire tibi? aut morabitur ad præsepe tuum. ? nunquid alligabis Monocerotem ad arandum, toro suo?*

Cap.
XXXIX.
12. 13.

*est & ad confringet glebas vallium post-
 re? Hinc Psal. XXII. 22. persecutorum
 Christi truculentia, Unicornibus non
 frustra comparatur & Leoni ponitur
 ad latus. Salva me, conqueritur
 Messias, ex ore leonis, & à cornibus U-
 nicornium humilitatem meam. Solita-
 tum quod sit, ex multis patet argu-
 mentis. Generale est, & id infallibile
 inter Zoologos, omnia ferivioris indo-
 ris animantia, quælia sunt Leo, Par-
 dus, Panthera, Ursus, solitudine gau-
 dere. Specialia sunt, quia avia & ab
 hominum adpectu remotissima in-
 hospitatur resqua. Rarissime in ho-
 minum, nisi quod cornua decidua in-
 veniantur, venit potestatem. Hinc
 quia rarum est, charum est & carum
 quoq;. Inde q;. colligo, Unicornia
 κατ' ἐξ ὀρνέως substantivè sic dicta
 non fuisse, quæ *Idaith Agas* (Orator So-
 lymanum apud Maximilianum, Impe-
 ratorem; Marcus Schæter, ante abju-
 ratam Christianam Religionem, di-
 ctus, & Ulyssis Aldrovandi popularis)
 Vienna in frequent, primariorum
 Virorum coronæ ausus est proloqui
 se in Arabiâ desertâ, vidisse gregasim,
 ut*

ut armenta, obversantes Monoceros.

§. III. *Fortitudinem ejus, DEUS ipse*
Idict. cap. 39. v. 14. deprædicat, ad
Jobum: nnnquid fiduciam habebis in
magnâ fortitudine ejus; Et cap. Num.
XXIII. 22. Deus eduxit populum illum
ex Egypto, cujus fortitudo similis est
Monocerotis. Eadem ex asse habentur
c. XXIV, 8. Celeritatem Monocerotis
non minorem, quam vel Capræ, vel
Pantheræ, vel Lepori, vel Equo, vel
Canis, vendicamus. Notanter enim
Psalm. XXIX. 6. Cedros Libani, Jeho-
sa saltare facere dicitur, non secus, at-
que filios Unicornum. Et quidni
agillimum esse possit, cum corporis
mole nullâ prægraveretur; Alacres certe
& bestię & homines sunt, fortes qui
sunt.

§. I V. *Arabia, Syriæq; incolæ quod*
sit, vel exinde certum esse potest, quia
passim in Scripturâ S. Judæis, Phœni-
ciæ, Syriæ, Arabiæq; accolis propo-
nitur. Non igitur his omnino caruere
animalibus, Manifestius rerò colligi
(nisi fallor) ex Psalm. XXIX. 6 potest,
ubi dicitur: saltare illas (scilicet Ce-
dros) facis, sicut vitulum Libani, &

Schirion sicut filium Unicornum.
Conjungitur hic cum Libano & Si-
rion, in tertio quodam comparati-
onis, Unicornu, & versu sequenti, cum
Deserto Eadesch; unde ratio confur-
gere videtur non levis, contenti ad
continens observatum hic fuisse re-
spectum. *Aethiopia* atq; *India* in ha-
bitare resqua, gravissimi testantur
Scriptores. *Ludovicus de Warthema* si-
ve *Varthomannus*, Bononiensis,
quem, Virum optimum salutat Sca-
liger exerc. 205 duos *Mecche* vidit. *Mo-
nocerotes*, quos à *Madre* quodam, *A-
ethiopia* Regula, ut cum Sultano archio-
nem iniret adfinitatem, transmissos
fuisse, testabatur. M. Paulus Vene-
tus qui multos versatus annos, inter
Tartaros, Orientales potissimum fuit,
lib. 3. de script. Orient. c. 15. de Regno
Basman, refert, Elephantes atque
Unicornes in magnâ ibi reperiri co-
piâ. Similiter Leonhardus *Rauchwolff*/
Augustan. Medicus in Oriente, se à quo-
dam Persâ accepisse scribit, *Sophum*,
Persarum Regem, Unicornia aliquot
Samarcandi alere. Thomas Bartho-
linus loc. superius citato p. 163. & seqq.
Testan-

Testantur, inquit, id ex regna China, reliquisq; India locis, in Europam nostram subinde reversi nautæ mercatoresque, quos, cum furtivo pede itinerum vastitatem emesirentur, per deserta Arabia, & incultas alias solitudines, ob fugam merum in silvis bivisq; feram hanc Monocerotem, ut vulgò depingitur, non sine terroris sensu vidiſſe; sed tantâ esse pedum velocitate, ut ex oculis derепente subducta, accuratorem spectantibus sui contemplationem præripuerit.

§. V. Reliqua, quæ magnitudinem, figuram, habitum corporis, & vocem Monocerotis attinent, ut brevitati studeamus, conjungemus, non sine testimoniis tamen. Post Cardanum, cujus supra notabamus locum, adducendus Scaliger: Unicornibus æquæ magnitudo: crura, pedes, caput cervi, pili, color baliæ. Equijuba, variior, brevior. Coxa villosæ. Cornu unum, integrum Niceæ vidimus: alia alibi. Subfulvum unum, unum sublucum, accedens maxime ad buxum: Unum subpurpureum. Etiam habemus frustum candidum. Vocem Ælianus τῶν τε αἰγῶν τε καὶ γειννοτάτην: Pli-

Exerc.

nus, mugitum gravem: Solinus, horridum vocat. Faciunt huc, quæ in prælect. Zoolog. de Monocerotæ cap. 6. quæst. 7. SPERLINGIUS ô magis patet habet: Vox propria namentum non habet. Nieremburgius autem vox obscena & dira, Catæ & Monocerotæ. De Catæ, non obscurum, quod variâ ita vox sit, pro vario affectu. Libidine accensi horrendas edunt voces ængentibus, edes replent clamoribus.

S. VI. Hic nunc datâ præterimus operâ, quæ de Ungulis, pedibus, Cornu & consimilibus, Unicornu prædicatis, non sine contentiosâ autorum contradictione, tradi vulgò solent. Alii enim Ungulam solidam, fissam alii, alii villosos pedes, alii graciles & glabros: alii bicubitale, alii minus majusve cornu, & hoc vel cinericium, vel nigrum, vel fuscum, quidam etiam splendidum esse ajunt. Minora certe hæc sunt, quàm quæ multis ogeant conciliationibus. Variant loca, variant individua. Alios in Angliâ, alios in Germaniâ, ejusdè namè speciei videas canes. Et quid multis? hominû ipsorû, tanta est varietas, ut si cum Æthio-

**Æthioplus Germanos, hos cum Ita-
lis, Italos cum Danis, Groenlandis,
Lapponibus, Moschovitis, conferas,
miseris supra modum. Id interim
non capimus, quo sensu Scaliger cum
Vartomanno, mansuetum Unicomum
pronunciarit? Ego certe cum Scri-
pturâ S. quæ immanem ei tribuit fe-
rocitatem, & experientiis aliorum,
faxim. Utrum cum Bartholino faci-
endum, & statuendum, irrepisse in
Æthruscum Vartomanni contextum
aliquid vitiosi? Si tamen aliâ excusa-
tione juvandus uterque esset, dicen-
dum foret, longâ, duos illos à Varto-
manno visos Monocerotes, & custo-
diâ & advesfatione mitigatos, & ex-
pugnatam quadantenus indomitam
illam aliâ ferociam fuisse. De Leo-
nibus, Ursis, Pardis, animalium fe-
rocissimis, idem certe constat.**

**§. VII. His ita se habentibus, ec-
quistantæ vel simplicitatis vel perti-
naciæ amplius esse vult, qui contra
tot divina humanaque de *existentiâ*
Monocerotis, testimonia opponere se, nō
dubitet? non vereatur? Loquitur
Scripturâ S. & insignes, Monoceroti
passim**

passim adornat laudes. Nos pro-
 non-Ente, Unicornu nunc reputabi-
 mus? Conqueritur natura ipsa, &
 suam, loquax in apologiam est, dum,
 non frustra usq; adeo pro animalibus
 vigilem fuisse, rerum Conservatorem,
 instantis diluvii tempore, ingerit in-
 dentidem. Non frustra generationis
 opus etiam concessum. Pereant in-
 dividua, species certe perennant. Sub-
 tilis Scaliger: Si, inquit, *deesset ali-*
quid, daretur in formis vacuum. Quod
longe majus in natura esset flagitium,
quam vacuum in quantitate sine cor-
pore. Nos ipsi hactenus, quot Uni-
 cornuum passim adhuc species sint,
 supra vidimus prolixè. Vidit duos,
 καὶ ἑξοχὴν sic dictos Monocerotes,
 Ludovicus de Varthema, qui seculis
 abhinc duobus, totum Orientem cu-
 riosè lustravit, Ægyptum, Arabiam
 utramq; , Æthiopiam & Indiam, ut
 itineris totius ostendit series. Is Var-
 thema, (verba Bartholini sunt) cum
 Meccam, splendidam Arabie deserti ur-
 bem, cum sociis Mamaluccis, itineris or-
 dine, pervenisset, lustrato prius celebri
 Mahometi templo ad aliud latius Fani
 con-

*conversus, Monocerotēs binos, claustris
inclusos vidit, simul & consideravit, ut* 22
testabuntur verba l. i. de Arab. c. 18. 23
p. 20.

§. VIII. Quotusquisq; Princeps 22
pum, Ducum, Regumve est, qui non
vel viderit, vel possederit, & inter-
pretiosiora sua retulerit Monocerotis
cornu? *Dresdense ē ξωτινογαυματρυ-
γμια βλαμειον* (quā confragosā qui-
dem, ingeniosā tamen voce, Vechne-
rus in Germaniæ breviariō utitur) co-
certe non caret. Est & *Fridrichs-
burgi*, (quod mninitissimū Daniæ
Regis castellum) Unicornu, longitu-
dine 7. ped. Rom. & 7. digitorum am-
bit. conspicuum, descriptumq; ē D.
Thomā Bartholino, Dano & ipso pag.
203. Vir infinitæ lectionis *Ulyses Al-
drovandus*, in Paralip. de quadru-
ped. ad lib. 2. fol. 223. vidimus nos, in-
quit, Romæ duo, Clementis VIII. P.
O. M. B. alterum, alterum verō ipsius
Nepotis illustrissimi Principis, Petri
Cardinalis Aldrobrandini &c.

§. IX. Historicis historica vel dan-
da fides, vel demonstrandum verius

quid

quid est. Quid nos tandē erimus, si non
historia suo stabit talo? Eant nunc &
crepent mihi quidam cerebrosi Tho-
mistæ, atq; nunc autorū nonnullorū in
describendo animali nostro, dissen-
sum, nunc aliud quid futile obten-
dant. Breviter respondeo: Non Au-
dio. Gravissimè gravissimus Aldrovā-
des hist. nat. quadrup. l. i. c. 6. fol. 190.
*apud quos modo responsiones nostræ cari-
tura sunt fide, eos ego dixero carere intel-
lectu, pertinacesq; appellavero, qui
ipsum non erubescunt, negare sensum,
cum tot passim apud Principes Unicornia
ostendantur. Credo tamen, quod plera-
q; non tam ex venatione captis, quàm
ex desertorum locis (decidua eim
cornua sunt, & nunc effecta, nunc
colore, magnitudine, figurâ, facile
ab aliis discerni possunt cornibus) ha-
beantur.*

S, X. Sed hîc jugulandus error est,
qui plerorumq; animis insedit. Ajunt,
enim diluvio univer(sa) animalia hæc
periisse, nunc terrâ erui posse. Verum-
tamen, quod felix faustumq; his nug-
vendulis fiet, est hoc genus Mineralis,
cujusdam, quod nec duritie, nec gra-
vitate,

vitate, nec soliditate, nec odore quicquam cum Unicornu nostro commune, præter effectus nonnullos nobiliores habet. Effoditur in *Thuringiâ, Bohe-miâ, flva Hercyniâ*, propè *Elbingerod. Hildesheim & Heidelberg. Silesiâ, Mo-raviâ*, & nonnullis *Misnie* locis. Idem in Italia inveniri memorat *Clusius*, re-fert *Ferrantes Imperatus* lib. 25. & *Franciscus* filius ejus. possidet *Olaus Wormius* frustula plura, quorum unum, (*Barholino* teste p. 277.) colore can-dido, friabile, molle. odore gratissimo &c. Rectè SENNERTUS noster: *Cur. Sci. Nat. in his potius. quàm in aliis locis quibus lib. 4. c. 4. Monocerotcs degere, credibilis est, ista p. 23. cornua inveniuntur;*

§. XI. Ut tamen autumâ scoriâ, verumq; à falso liberemus, duas, pro appendice formaturi Quæstionculas sumus, quæ & abusum impugnabunt, & propugnantur usum. Quær. *Utrum Unicornus sit Alexpharmacum universale, vel ad minimum tandem, eas obtineat virtutes, quas vulgò ei tribuunt?* R. Mun-dus vult decipi. Volenti non fit in-juria. A iusto ad nimium itur. Fama Echo est. triplicat, quadruplicat uni-versa,

versa. In gratiam Magnatum multa dicuntur. Venena tam sunt varia, ut impossibile sit, unum dari omnibus resistens antidotum. Homines pro opinione suâ, omnia augent. Agyrrarum & Circumforaneorum fraus ineffabilis. Non obtinuerunt divitiissimas illas dotes, Medicorum Antesignani, Arabes, Æthiopes, Græci, Latini. Nihil amplius laudatur, nisi quod ex Indiis & Moluccis Insulis adfertur. Cotidiana, etsi optima, & æquivalente vi prædita, nimio sui usu evilescunt. Experientissimus Vir D. Thom. Bartholin. p. 266. pro se citat *Cratonem à Crassheim, Baccium, Horatium Augentium, Horstium* ac alios, & Monoceroti ne minimum cedere cornu Cervinum atque Unicornu fossile, ait, Idem apud *Aldrovand.* loc. cit. fol. 183. *Andreas Marinus & Apoll. Philosophus*, statuunt.

¶ XII. Quær. Quomodo dignoscitur Unicornu genuinum à suppositio soleat? R. Si aquæ calidæ injectum bullas excitet, ajunt. si præsentē veneno, emittat sudorem: si canibus veneno potatis, medeatur; si beneficio cornu

nu istius definitur circulus, quo, ci-
clo immixtus, vel scorpius vel ara-
neus, egredi non ausit. Ubi tamen
superstitio cum falsitate certat de pri-
matu. Falsum est, sudare Unicorn:
falsum, semper in ferventibus a-
quis, atque solum Unicornu excita-
re bullas. Superstitiosum, verò atq;
Magicum, quod de Judæo quodam
Jordanus, aliiq; de aliis referunt a-
gyptis: qui magicis incantamentis
potius, araneos, serpentes atq; Scorpi-
os istos, ne definitum transilirent cir-
culū, quàm Monocerotis ope effete-
runt. Siquis verò subest, nō circulo, qui
ad quātitatē spectat sed occultis qua-
litatibus evēto impūtus. Idem ex asse
nobiscū sētit Barthol: c. 29. atq; supe-
riora vulgi effata, gerras Siculis vani-
ores vocat. Venenis interim re-
sistere Unicornu, nemo negat. Sal-
tem nequid nimis! De verā probā su-
pra diximus.

§. XIV. *Nota ad Lectorem.* Be-
nignum, hæc sibi deposcit scriptio,
Lecturum. Bonis omnia bona: ma-
lis optima, pessima videntur. Ami-
corum stasus hæc conscripta sunt. Sa-
pientibus, nos hâc vice, præter reve-
rentiam modestissimam, nihil

E propina-

propinamus. *Bartholino*, summo Viro,
Caspari Filio, plurima à nobis hîc de-
beri, bonâ profitemur fide. Historias
n. , ex nostro cōfingere cerebello nec
poteramus, nec debebamus. Licuit id
Bartholino quoq; ex aliis, âre nos. Ut
si tamen ubiq; nostro fuîmus ingenio:
nec temerè, promiscua quæque cre-
didimus. Videbit eqvus Anagnostes,
&, si quid mali effecimus, nobis: si
boni quid, DEO, cui Soli pe-
rennis laus sit, impu-
tabit!

FIAT!



DISPUTATIO IV.

De
BEHEMOTH & LEVIATHAN.

Respondente,

CHRISTIANO LAURENTIO

Freibergâ Silesio.

Exordium.

DEtinet amore sui, nos, Natura.
Ob secundandum est invitatri-
ci. Nunc varietate, nunc utili-
tate, nunc sublimitate, nunc
jucunditate, nunc universis se jactitat. Ma-
ter speciosa, atque spatiosa, donis. Sequen-
da igitur in omnibus. Et si vero nunquam
non, & nusquam non, se in amœnissimum
constringat habitum; nescio tamen, an ulli-
bi id præstet magis, quam in animalium
phalange. Nolumus ire ambages. Adma-
num est, quod sat est, Nobile par bestiarum
omnium, nisi fallimur, vastissimarum, BE-
HEMOTH nimirum atque LEVI-
ATHAN, documento nobis; quorum q-
uonibus notissima nomina sunt; natura sa-
G pien-

*piantibus, auxiliatrice Dei gratia, per-
specta fiet.*

CAPUT I.

De

BEHEMOTH.

SYLLOGE.

1. Qui de BEHEMOTH agit, adduci-
tur locus.
2. Non hic propriè vel Dæmon, vel
Draco, vel Taurus intelligitur.
3. Narrantur, & hoc ipso confutantur
Rabbinorum stultiloquia.
4. Per BEHEM. indigitatur Elephas.
5. Declaratur Etymon.
6. Homonymia.
7. Synonymia additur. Boves Lucæ
quid?
8. Præcorum Roman. ruditas. Nota-
tur Varro.
9. Proximum, ab homine, animal, E-
lephas. Ne quid nimis.
10. Elephanti solertia.
11. Pabulum ipsius.
12. Robur admirabile.
13. Aliarum partium configuratio.
Flectere crura potest Barrus.

14. Ar-

14. Armatura ejus naturalis.

15. Cibus & Patria.

16. Potus ejusdem.

17. Captura.

§. I.

HIOBO, Phyſico in ſacris literis decantatiſſimo, & (ſi Adamum, Jacobum, atque omnium Sapientiſſimum SALOMOMEM excipias) Scientiæ Naturalis ornamenſo facile primo, hiftorian. Behemoth atque Leviathan deberi, caput X L. & XLI. quidem docet. Behemoth quid ſibi velit, ex priori: quid Leviathan verò, ex poſteriori cognoscemus. *Ecce age Behemoth* (inquit Naturæ Autor atque idem quoque conſervator DEUS) *quem feci tecum, gramen uti bos comedit. Ecce age fortitudo ejus, in lumbis ejus, & robur ejus in umbilico, ventris ejus. Stringit (ſeu erigit) caudam ſuam veluti cedrum: nervi genitalium ipſius implicantur (vel tameſcunt) Offa ejus fiſtule aris, tibiæ ejus inſtar vectis ferrei. Ipſe eſt Principium viarum Dei, qui fecit eum, applicavit gladium ejus. Huic montes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri luſitabunt ibi. Sub umbris recubat in ſecreto calami. In luto protegunt eum umbra (vel umbroſa arbuiſta) circum dabunt illum ſalices torrentis. Ecce abſorbebit fluvium, & non mirabitur, &*

fiduciam habebit, quod influat Jordanus in os ipsius. In oculis ipsius, capiet eum (aliquis, seu capietur ille) *& laqueis proforabit nares ejus, Hæc de vastissimo animali, sacæ codex.*

§. II. Nostrum est, rimari etiam prædicata isthæc assignanda sint, & quid per Behemoth vastissimum intelligendum. Liquidissimi verò sensus est, agi hîc de animali gressili aliquo prægrandi. Qui enim rejectâ omni literâ, ubi opus haud est, allegorias liberaliter confectantur, immani illi quidem, à naturalibus, ad Dæmonem ipsum ruunt saltu. Ita Thomas pariter ac Lyrannus. Vid. Dn. D. Olearius Conc. 49. in Job. p. 388. Exactam talem Dæmonis cum Behemoth allegoriam qui desiderat, adire Dn. D. Saultetum, Conc. 232. Super Job. p. 318. ubi vult, potest. Mitamus hîc Johannem Camerensem, in *Dragonem* nobis Behemoth transfigurantem. Neque Sancti jarrideat placidum, per Behemoth, forteñ aliquem intelligentis *taurum*. Eandem trivit orbitam Doctissimus JOH. EUSEB. NIEREMBERGIUS, in Acad. Reg. Madrit. Physiol. P. quondam; dum l. XI. Hist. Nat. c. 3. fol. 141, bovem hîc indigitari, omnibus contendit & intendit modis.

§. III. Tantò minùs Rabbiorum stultiloquia admittemus faciles. R. Abraham qui-

quidem, mirabile quoddam & *monstruosum*
animal innominatum: R. Moses verò com-
 mune aliquod vocabulum omnium ju-
 mentorum hîc designare Behemoth, con-
 tendit. Eodem etiam contemptu reliquo-
 rum somnia *Thalmodistarum* vindicare
 possis. Narrant & reverà narrant Recu-
 titi, immanem quendam bovem, cujus
 caput I. collum I. & corpus VII. miliaria
 longum sit, Behemoth. Hunc in *Paradiso*
singulis diebus, mille depascere solere montes
 tam diu, dum Messias veniat, Taurumque
 illum mactet, gratisimum Judæis fereu-
 lum Vid. prolixè de his agens *Buxtorf.*
in Synagog. Jud. c. 36. p. 456, & seqq. Conf.
Gersonis Thalmud, p. 94. c. 16.

§. IV. Nos argumentamur. Illud intel-
 ligendum est per Behemoth, cui plañb
 simplicique Stylo, omnia quæ de Behe-
 moth dicuntur, κατ' ἐξοχήν competunt.
 Atque Soli Elephanto isthæc omnia, quæ
 de Behemoth dicuntur, κατ' ἐξοχήν com-
 petunt. E, Solus Elephas intelligendus est
 per Behemoth. Probanda nunc assump-
 tio est, & confirmanda cuncta. Ibimus per
 partes, & primò *nomen*, postmodum, *rem*
 Elephanto commodè attribuemus.

§. V. BEHEMOTH, plurali & eo qui-
 dem fœminino nomine insignitur Ele-
 phas; quasi tu dixeris jumenta. Excellen-

tiam hoc loco phrasis Eberina notat: & Behemoth, h. e. jumenta, Elephas vocatur, quod pluribus, ob enormem corporis vastitatem, æquiparari possit bestiis. Ita  fammam notat Sapientiam, Prov. I 20. IX. v. 1. Parili ratione θηρία in plurali, Græcis quoque appellatur, notante Suidâ, Elephantus. Vidimus plura alia, è Latinis quoque congesta, ab *Ulyssæ Aldrouando*, loca, l. 1. de quadrup. f. 197. c. 9. Vox Latinorum ipsa à Græcorum λόφος i. e. colle aut monticulo, expositore *Isidoro* derivatur. Quò, nî fallor, *Oppianus* respiciens cecinit:

*Ut si illum vides dum immania corpora
versat,*

Excelsi montis procera cacumina credas.

Aliis Ελέφας quasi ἐλέβας à participio πῖμι-
rum βας, verbi βαίνω, nomineque ἔλος,
palude, oritur. Quoniam, quod certissi-
mum est, in paludibus, mas elephas cum
fœminâ consuescit.

§. VI. Paucissimis excutenda vocis
quoque ambiguitas. Plinio *Elephas mari-
nus* datur, & à nimio dentium candore,
quin & magnitudine, quâ cum terrestri E-
lephanto convenit, sic nominari solet:
Plin. lib. IX. cap. 5. Credo, quod Balz-
nam ita vocitârît. Est præterea quoddam
locustarum genus, Elephantî nomine am-
bi-

bitiosum. Plinius audiendū ex lib. XXXII.
c. 11. est: *Elephantum locustarum generis nigri,
pedibus quaternis bisculis: præterea brachia
duo, binis artibus, singulisque forpiculis den-
ticulatis.* Sed & quoddam poculorum genus,
(tricongitum vocant) Elephantum dici, a-
pud Atheneum (l. II. c. 5.) legimus. Ver-
sus latine redditū sic habent:

*Idoneum nisi tibi elephantum puer
ferat. Quid est hoc per Deos? paculum
magnum, choarum quod trium sit capax
pax &c.*

Et alibi apud eundem c. 16. Epinicus:

*-- -- hodie ad Clepsydram
torrentis instar aurigabor utraque,
est autem elephas. Elephantos attrahis
rhytum
quod congios capit duos -- -- --*

§. VII. Synonyma tangenda paucis.
Dicitur hic noster Behemoth, Latinis pe-
cus Indicum, Bellua item *Lybica κατ' ἔξο-
χὴν*. Sunt qui *Barrum* eum, unde propri-
um Elephantis est, *barricus*, vocant. Hora-
tius querit:

*quid tibi vis mulier nigrie dignissima
barris?*

Lucretio, *tauri anguimani*, dicuntur E-
lephantes. Verba sunt:

G 4

Inde

*Inde haves Lucas, irritato corpore tantas
anguimaneos belli docuerunt vulnera Poenae
Sufferre.*

Scitè nominat anguimaneos. Proboscide nimirum pro manu uti Elephantesciunt. Fleunt, reflectunt, contrahunt, extenduntque proboscidem. Tortilis quippe flexilis, lubrica, volubilisque serpentis in morem, eorum est promuscis. Omnium communissima Synonymia est, quâ *Boves Lucas* Elephantos vocant. Causam ubi voles, hanc habe. *Pyrrhus Epirotarum Rex* à Tarentinis accitus contra Romanum nomen, primus in Lucania, Elephantorum iussa ante, Romanis, agmina opposuit. Plinium si adeamus, respondet ipse, ex Lib. VIII. Hist. Nat. cap. 6. *Elephantos Italia primum vidit, Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas appellavit, in Lucania visos.*

§. VIII. Rus nempe suum & silvam o-luerunt veteres Romani. Sed quid mirum querit *Doctissimus Rupertus* p. 259. Flori illustrati sui. *Cum eadem struthionem, passerem marinum, Camelopardum, ovem faxam, Pantheras, mures Africanos, Leones, Ursos Numidicos, appellarent, cōparatione semper factâ aliquâ ad notas & indigenas animâtes, more rusticorum aut puerorum. Ut Virgilius super Flor. l. c. 18. ex Lipsio. Ele&*

eia. colligit. Quāquā quz de Leone su-
 spicantur prælaudati Viri Ursū Numi-
 dicū fuisse dictū, id solidissimis refute-
 tur argumentis à *Claudio Salmas.* ad Solin.
 c. 16. p. 311. Negaverat è Plinio Lipsius, Afri-
 cam habere Ursos. Plinium Lipsiumque
 Salmasius premit autoritatibus contrari-
 is, *Herodoti, Strabonis, Virgilii, Juvenalis,*
Martialis, Solini, M. Antonii Sabellici &c. Nos
 ad boves Lucas reditū paramus. Ridet
 enim M. Varro in oper. de LL. lib. VI. & re-
 fellit opinionem existimantium, boves
 Lucas s. Lucos à Lucanis, ex ingenio Ro-
 manorum, dictos fuisse Elephantes. *Arbi-*
tror, inquit, boves Lucas, à Luce potius dictos
esse, quòd longè relucebant, propter inatracos
regios thypeas; quibus turres elephancorum or-
nabantur. Excusatum it Varro priscorum
 Romaonrum ruditatem. Invitā sanè veri-
 tate. Plinio contestatur *Luc. Ann. Florus* l. 1.
 c. 18. *Floro Scaliger, in appendic. ad conject.*
in Varronem.

§. IX. Expensò nomine, res sequitur.
 Subjectum, Elephantem fecimus. Prædica-
 ta, ordine applicabuntur. *Ecce ago Behe-*
moth, quem feci juxta te (vel tecum) gramen
uti bos comedit. Quadrat omninò hoc ad E-
 lephantem, qui æquè atque homo, sexto
 creationis die, ut in solo vivat, est creatus.
 Quin imò contra & præter reliquarum

G 5

natur

naturam belluarum hominem amatum
 eo conversari gaudet, & à pusillo puero A-
 rabe, huc illuc se regi patitur, ac vulnera-
 ri. Accommodè Plinius: *animalium maximum,*
 inquit l. 8. c. 1. *Elephas est, proximūque hu-*
manis sensibus: quippe intellectus illis (cogni-
tionem usualem appellārim ego) sermonis
patrii & imperiorum obedientia, officiorumque
quæ didicere memoria, imò verò (quæ etiam
in homine rara) probitas, prudentia, æquitas.
 Hæc Plinius. Sed malè in ibidem idem, à
 necessario ad nimium progressus; siderum
 religionem, solis atque Lunæ veneratio-
 nem, & nescio quas stultas preces, Numi-
 ni ab Elephante alligari solitas, adjungit.
 Simili castigandus notā Ælianus l. 5. c. 49.
 erat. Longè modestiùs in Elephanti laud.
 Lipsius pronuntiat: *uti seria & vera multa*
inesse, nihil ambigo; ita quedam majora vero.
Quis enim tam magni anneris sit, ut, quicquid
illi imponunt, vebat.

§. X. Non interim, sapo si accipiantur
 sensu, displicent, quæ de egregiâ illâ Ele-
 phantorum cum hominibus convenien-
 tiâ. Nobilissimus scripsit Vartomannus.
 Testatur verò, se quosdam vidisse Elephantes,
 qui prudentiores sibi videbantur, quàm quibus-
 dam in locis, homines. Homo homo quidem
 est, ac dicitur, Brutum brutum. Ille tamen
 nunquam naturali aliquâ stupiditate, in condi-

tâ

et barbarie, aut aliis prægravatus modis,
vel parū vel nihil diviniore (ratione, quā
tamē quādoque, uti nequit, si exceperis.) præ
solertissimo hoc obtinebit bruto. Id verò
certissimum est, nullum, inter universa
bruta, ad hominem accedere vicinius. Ele-
phant⁹, Principem iccirco, obtineat, præ
Leone, locum. Nobilior quippe, *Roma cum*
non ita pridem (verba Aldrovandi sunt)
multi (scil. Elephantum) *docerentur institutio-* lib. 1. a
nes admirabiles, gyrosque facere explicatū dif- quadr
ficiles: quidam reliquis omnibus minus docilis, c. 9. f. 2.
ob idque crebro increpatus & castigatus, depre-
hensus est noctu, suā sponte se exercens atque
discens. Vidimus nos quoque annis abhinc
proximis, ductum illum per multas Ger-
maniae Provincias, Urbesque, Elephan-
tem, solertem supra modum: saltantem
commode, jaculantem, vexilla ventilan-
tem, nummum clam abjectum probosci-
de quaesitantem, invenientem, reddentem:
breviter, omnia ad rectoris nutum,
promptissime exequentem.

§. XI. *Gramen Elephas ad instar bovis di-*
titur comedere. Nimirum non carnivorus
est, ut Leo, aquila, vultur. Non vermivorus
ut philomela, upupa, hirundo. Non omni-
vorus, ut picæ, corvi aut cornices. Carda-
nus lib. X. subtilit. fol. m. 342. Oportuit, in-
quit, *plantis, fructibus, & herbis vesci, aliter e-*
nim

nim primum animale esse haud potuisset, quandoquidem omnia animalia, quae carnibus vescuntur, sunt iracunda, fraudulenta, crudelia & superba. Aloysius Cadamustus, citatus Ulyssii Aldrovando l. i. de quadrup. f. 214. eos arborum foliis, & ipsis quoque arborum truncis vesci avidissime, testatur. Montanas ab ipso adamari herbas & palustres etiam, post Sacram S. Diodor. Siculus affirmat. Quamquam in defectu pabuli ordinarii, nec radices, nec fructus quosdam, utpote melones, poma, hordeumque spernat. Panes octo grandiores, brevi spacio, ab Elephante devoratos, vidimus Onoldi. Sed nec vinum fastidivit. Hæc illa altera natura, consuetudo.

*S. XII. Robur Elephanti ingens, fortitudo maxima. Turres armatorum in hostes ferunt, gladioque proboscidi alligato, atrocissime præliantur, ac hominum, adversus quos a rectore agitantur, stragem edunt fædissimam. Cardanus, tantum, ait, corpori inest roboris, ut duo ex his juncti, gravem maximam onustam, in terram trahant. Olim, & nunc Indi solent, duabus catenis ferreis circumligatis, sub ventre duas addere cli-
fol. tellas, illisque ligneum superimponere castellum, in quibus sæpi homines erecti, & quandoque etiam usque ad 14. omni telorum genere stant præliantes. Sed quid mi-
nora*

nora dicimus? 1. Maccab. VI. v. 37. locus elegans habetur, ubi Elephanti singuli singulas turres, & in unaquaque turri, triginta duos armatorum, excepto adhuc Ethiope rectore, portando sustinuerunt. Aliano teste, mœnia hostium subvertere Elephanti olim assolebant. Solâ etiam proboscide, ejectione armatos, in sublime, Viros. Ctesias ipse vidit, jubente rectore, Elephantem dentibus suis palmam, summâ violentiâ, eradicâsse, pedibusque conculcâsse. Vide mihi duos eorundem dentes, & non ride, dum 325. ponderibus æquantur: teste αὐτὸς τῆς Vartomanno ap. Cardan. l. X. f. 319. Julius Casar Scaliger & ipse unicum vidit dentem elephantinum, (unde ebur est) Viro longiorem. Exerc. 204. sect. 1. *Vidi equidem, inquit, dentem me longè proceriorem.* Indici adhuc majores & robustiores.

§. XIII. Sequitur partium quarundam elephantinarum conformatio. Loquendum hîc. modestè est, cum Jobo: *Stringit caudam suam, veluti cedrum; nervi genitalium ipsius implicantur. Ossa ejus fistulæ aris, tibiæ ejus, instar vectis ferrei.* Primarium inter alia, hoc Elephanti γυνέμουα. Organon multiplicandi se, mas Elephas tantum non terribile habet. Cardanus, *ad terram usque* h. cit. *porrigi, licet alii hoc negent, inquit. Mittamus hæc, & colossæ vastitatis ejus ossa, pedesque*

que speculemur. Crura verò obtinet terra, ad instar columnarum, altissimos, terræ infigentia gressus. Coxa rectæ descendunt, nec in anteriorem partem, ut bovis, exporriguntur. Hocque idè contingit, quoniam junctura genuum adeò æquales sunt, ut, nisi flectere crura videas, juncturâ carere jures. Inde natam, divinatum facile est, opinionem, juncturis & flexuris genuum carere Elephantēs : ita ut semel in terram prolapsi, resurgere non possint. Hoc illo commento, *Diod. Siculus* cum *Strabone*, multorum persuasit animis, fidam Elephantorum capturam, in arboribus, (quibus ceu dormitorio consuevit innituntur) majore sui parte, occultè tamen, succidendis. Vidimus humi se prosternentem, moxque ad jussa Domini surgentem Elephantum. Viderunt alii. Res indubitata.

§. XIV. Ab *excellentiâ*, quoque atque *armaturâ*, noster nobis describendus Elephas. Viæ Dei, opera divina sunt. *Viarum Domini principium insignitur Elephas*. Inter quadrupedēs quippe excellentissimum, præcipuumque, post hominem, Dei opus. Sed & primo, inter quadrupedēs animantes, loco, creatus Elephas statuitur, a *Dn. D. Oleario Corc.* 49. *Job.* p. 388. Quicquid sit, primas, post hominem, elephanto, propter

pter præmediatas rationes, ante leonem et
tam deferimus. Quamvis enim ad hominem
quid viciniùs accedit, tantò æstimandù est
nobilis. Docilem supra modum Elephan-
tem esse, supra memoravimus. Plinii ad-
huc adjiciendus locus ex c. 3. l. 8. *Murianus*
ter consul, autor est, aliquem ex his, & litera-
rum ductus, Græcorum didicisse, Ælianus ait:
Vidi ego ipse, quendam in tabula, literas Romæ-
nas proboscide scribentem, rectè & non contor-
tè. Quin etiam cum scriberet, oculi ejus cum ri-
gore dejecti in tabellam erant, ut planè intentos
diceres & scriptitantes. Nihil tale in Leonem
cadit. Solivagum animal Leo. Regiâ socie-
tate gaudet Elephas. Crudelis bestia Leo.
Elephas mansuetus supra fidem. Regem
clementia decet. Armaturâ, regius gaudet
Elephas. Ille, inquit Jobus, qui fecit eum, ap-
plicavit gladium ejus. Fulmineos puta den-
tes cum proboscide, quibus velut armis
gladioque utitur. Placent Aldrovandi
verba, proboscide pro manu utitur, & extremâ
ejus parte sic omnia tractat, atque ita rebus ap-
prehendendis applicat, ut ne minima quidem
numismata ipsum effugiant, quæ etiam sublatâ
proboscide rectori insidenti tradit. Fluvium
aut profundum lacum trajecturus, per
sublatam hanc, in altum, probosci-
dem respirare, quæ mirabilis naturæ pru-
dentia est ac providentia, solet. Plinius in-
quit

quit : mandant ore, spirant & bibant, odor, gu-
turque baud improprie appellatâ manu. l. 8.
c. 20.

§. XV. Huic montes herbas ferunt : & o-
mnes bestia agri lusitabunt ibi. Sub umbris recu-
bat in secreto calami. In luto eum umbrosa præ-
tegunt arbuta: circumdabunt illum salices tor-
rentis. De pabulo ejus supra dictum. Hic
nunc â mansuetudine ac habitatione BE-
HEMOTH describitur. Mansuetus ex na-
turâ suâ Elephas: & primo quoque tempo-
re cicurandus. Oppiano auscultandum;
illi pastus inest animus, dum saltibus errat,
& feras; ast homines inter mansuetus & a-
quus.

Herbiferis etenim atque umbrasis vallibus
olim

fagos atq; oleas & celsa cacumine palma,
Sæpe solo stravit, firmâ ab radice revulsa,
Ingenti incumbens & acuto robore dentis;
Ast ubi in humanis manibus versatur, e-
undem

deserit ille animus, fugiuntq; immania cor-
da,

Namq; jugum patitur, durisq; stat ora lu-
patis,

& pueros tergo discit gestare magistros.
Licet etenim armatus sit, gramine con-
tentus tamen, alia juxta se animalia secu-
te circumvagantia, ne imprudens ea con-
te-

terat, blandè submovet proboscide. *Dn. D. Scultetus* l. cit. p. 316. Saturi ad loca roscida palustriaque revertuntur, & arundineta, ut cubent ibi, incolunt. Aquas alioqui, nisi coacti, haud intrant, tametsi impendiò delectentur iis. *Ægerrimè* quippe ob prægrandem corporis vastitatem nataturi.

§. XVI. *Ecce absorbebit fluvium & non mirabitur, & fiduciam habebit, quod influat Jordanus in os ipsius.* Tardè quidem, sed diutissimè bibit elephas. Tantamque aquarum exhaurit copiam, ac si integrum exsorpturus fluvium esset. Potum tamen non haurit ante, quàm immisis aquam conturbârit pedibus. Faciunt idem Cameli, atque generosiores equi. Scilicet cognoscunt suas, bruta commoditates. Aqua quippe pura, ventris intestinorumque tormina illis procreare dicitur. *Aristoteles, uno pastu Elephantem sumere ait, novem modios Macedonicos, plerumque autem ebibere Sex vel Septem.* Sed copiam hanc, corporis requirit vastitas, non suadet voluptas: ut rectè judicat in prælectionibus. *Zoolog. cap. de Eleph. q. 5. Beatusinus SPERLINGIUS.*

§. XVII. *In oculis ipsius capiet eum (hoc est, ipse capietur) & laqueis perforabit nares ejus.* Absolutè quidam: quidam inter-

H

to

rogativè hoc de Elephantò volunt intel-
lectum. Stet sua cuique sententia illibata.
Nos ex *Diodoro Siculo Plinioq;* ita rem ac-
cepimus. Elephantò animalium vastissi-
mo licet, parati tamen à naturâ hostes
sunt, post ignem, quem maximè reformi-
dant, & pürgos, quorum grunitum ex-
audire nequeunt, *Dracones*. Hi etenim ad
fluvium bibentem, vel securè comedentem
observantes, ex improvise in oculos ejus in-
volant, eique nunc oculos effodiunt, nunc suis,
quas prolixâ caudâ faciunt, spiris, velut la-
queis, proboscide sic eum tenent, ut vel stran-
gulent, vel, à defensione sui prohibeant, sicque
sanguinem ejus exsugunt, ut ita vel deficiat,
vel oculis orbatu pereat omnino *Elephas*. Vid.
Diod. S. l. 3. c. 3. à fine, p. m. 164. Conf.
Plin. qui eadem ad amustum habet. l. 8. c.
12. & Solin. c. 38. De ordinariis, & iis qui-
dem multifariis Elephantorum, ab homi-
nibus capi solitorum venationibus, con-
sulendus post *Aldrovandum*, *B. Franzius*
est, in Hist. Anim. Tantum igitur de E-
lephantò, quantum ad Minoris compro-
bationem fuerat necesse. Reverà enim
nulli alii animalium, universa hæc vendi-
cari possunt prædicata.

CA-

CAPUT II.

De

LEVIATHAN.

ARGUMENTUM.

1. Locus de LEVIATH. adducitur.
2. Non hic propriè indigitatur Crocodilus. Non serpens; nec monstrum aliquod Rabbinicum.
3. Per LEVIATHAN insinuatur Balæna.
4. Incredibilis vastitatis balænae. Farrago exemplorum.
5. Costa immanis cujusd. Ceti, Wittebergæ, in, ad Arcem, Templo.
6. Captura Balænarum periculosissima.
7. Continuatur. Indorum capiendi modus.
8. Subvertit naves Cetus. Lusus ejus marinus.
9. Concluditur discursus.

§. I.

Digrediendum à vastissimo animali terrestri, ad vastissimum aquatile est. Nomen ei Leviathan. Radix מלך quæ

H 2

præ-

præter alia significat assumpt, adhæsit, cum-
mulavit, auxit. Unde Leviathan, piscem
notat, cujus magnitudo est insignis. Fráz.
Hist. Ap. p. 604. Latini Cetus vocant.
Cetorum Species quàm plurimæ. Prin-
ceps est Balæna. Sequuntur Orca, Physe-
ter, Delphinus, Scolopendra, Vitulus
Marinus. Hic de Balæna sermonem esse,
omninò arbitramur, propter attributa.
Audiendus ex Cap. XLI. Jobi, Deus est :
*Nunquid trahes (temerè nimirum) Levia-
than hamo, & furcâ ligabis linguam ejus ? po-
nisne fiscellam in naribus ipsius, & acn pûngis
maxillam ejus ? Nunquid multiplicabis ad re-
preces ? aut loquetur ad te mollia ? Nunquid
feriet pactum tecum & accipies eum servum
sempiternum ? nunquid cum eo ludes ut avi-
cula ? aut ligabis eum puellis tuis ? Concident
(facilè sc.) eum amici ? Divident illum ne-
gotiatores ? Si pones super eum manum tuam,
memento belli, nec ultra addes. Non est quis
quàm tam ferus, ut eum suscitet.*

§. II. Non hîc audiemus Bezam, qui
per Leviathan, Crocodilum, aut aquaticum
Draconem quendam intellexerat. Sed
nec Tropistas quosdam, qui nil nisi Dæ-
monem hîc indigitari, putavere. Valeat
& R. Kimchi, cui Leviathan maximum ali-
quem, navibusque infestum denotat Ser-
pentem : teste D. Olear. l. cit. p. 392. R. Me-
nas-

Rassch Ben Israhel, ne audio quidē, dum
 l. 2. de resurrect. mort. c. 19. p. 225. per
Leviathan, epulum illud, de quo legitur
 in *Baba Batra*, quod Deus isto tempo-
 re preparabit illis, qui optime sanctissi-
 meque in terris vixere, (quæ Judæi ver-
 ba sunt) insinuari garrit. Eadem fabu-
 latus *R. Mos. Majemon* in *More Nebu-*
chim part. 3. c. 23. p. 404. per *Leviathan*
 complexum generalem, omnium corpora-
 lium proprietatum, quæ dispersa sunt in
 quolibet animali velociter volante, atque
 ambulante, importari. Stultiora ad huc
 in *Thalmud* part. 1. c. 16. p. 40. somnia,
 ut quæ pro cotidianâ *Leviathanis* e-
 scâ, piscem trium miliarium longum,
 ineptissimè finxerunt, deprehendas.
 Conf. *Buxtorf*. in *Synag. Jud.* l. supr. cit.

§. III. Nos, his misis nugamentis,
 sic ratiocinamur: Illud propriè hic in-
 telligendum est per *Leviathan*, cui plano
 simpliciq^{ue} stylo, omnia quæ de ipso dicuntur
 predicata, competunt. Atq^{ue} Soli Ceto præ-
 dicta cuncta predicata competunt. E. Ma-
 jorem nemo, si velit etiam, sollicitare
 poterit. Probando minor est, & pro-
 grediendum ordine. Prius præsuppo-
 nendum tamen, de marinâ belluâ va-
 stissimâ & indomabili hîc sermonem
 esse. Docent universa, ei vindicata

prædicata. Clarius id innuit. ♡. LXXIV
13. *Tu rupisti mare, tu fregisti capita Leviathan, seu Balænarum. Thāninim vocantur alibi. Nullum aliud in ullo mari, vastius, horribilius formidabiliusve animal, Balænâ ipsâ est. Ostendi id (1) ab immensâ ejus vastitate. (2) ex capture summâ difficultate (3) ab immani ejus feritate. (4) â conversationis cum hominibus impossibilitate. (5) ab occisionis extremâ arduitate, â quibus suprà describebatur, potest.*

§. IV. Incredibili vastitate piscem esse equidem oportuit, qui *Prophetam Jonam*, uno abligurivit oris rictu, eundemque intra triduum evomuit illæsum. Fuit autem Cetus, A.O. 1531. captâ Harlemi in Bataviâ, balæna fuit, pedes 68 longa. A. 1577 nō procul ab *Antwerpen* capta alia in Scaldis flumine, 85 pedum longitudine. Insignis quoq; magnitudinis illa erat, quæ Año Ch. 1532. marinis ejecta fluctibus ad littora fuit, ita ut pars aliqua appareret extra aquas, altera intra aquas lateret. Et si verò à pecoribus & piscibus magnâ ex parte fuisset discerpta & devorata; tantum tamen manserat residuum, quantum centum ingentia planstra vix poterant avehere. In longitu-
di-

dine habuit 30. ulnas. Rigus oris com-
plectebatur sex ulnas cum dimidiâ;
mandibula 7 erat ulnarum cum dimi-
diâ: in lateribus habuit 30. costas, qua-
rum singulae longae erant ut pedibus.
Longitudo capitis à principio usq; ad
ristum oris complectebatur 8 ulnas:
lingua 7. ulnarum erat longa. Compen-
dio uti cogimur. Plura circa exem-
plum hoc reperies Lector, in *Epist. ad
Polydor. Virgil. quae extat apud Franzium
part. 3. Hist. Anim. c. 2.* Idem sequens
etiam habet: Anno 1545 in *Pomerania
Gryphismaldi capus fuit, exiguus qui-
dam, & tamen illius ventriculo reperta
est ingens copia piscium, nondum ad huc
concoctorum, & inter alios, salmo vivus,
ulnae longitudine, ita ut tria dolia s. tonnae
(piscium) inde replerentur.* Mirabilioris
adhuc vastitatis adnotabit balæ-
nas, in nupero suo Itinerario, Hierony-
mus Welschius, Cap. V. de Ital. p. 33.
quem vide.

§. V. Hæc dum scribimus, non abs re
recordamur prægrandis illius, in tem-
plo ad Arcem, hîc Wittebergæ, quæ
habetur ex Balænâ, costæ. Longa ista
pedum XIV, deposita à Divo Saxonie
Electore, FRIDERICO SAPIENTE,
ferreâque, parieti alligata catenâ, visi-

tur. Adjuncta tabella est. Versus inscripti, pro genio seculi istius, seqq.

*Omnes interrigena prae grandem cernite
cete,*

bis septem pedum, costâ de latere tensâ.

Cunctipotentis opus, non perscrutabile cuivis,

*perspicuis audis sub, talia monstrare
creavit.*

§. VI Capturam Balnearum memorarunt multi. Omnes, prolixissimis exposuere. Quamquam vix mirum esse poterat. *Videndus Oppianus, Albertus, Rondeletius* & qui ex hisce sua petiit, *Ulissas Aldrovandus in Ichthyol. l. i. de eet. f. 261.* Nos quâ tum possumus, negotium longum, brevi depingemus ductu. Funes contortos, crassitudine rudetis samunt, addunt ferream catenam; hamo acutissimo validissimoque formidabilem: hamum tauri carnibus involvunt, ut inescant belluam. Adremigant audaciores quidam, & ne comminus videantur, â latere cymbam agitant. Belua ut primum odoratur escam, aut videt, nullâ cunctatione interpositâ, effrangi, eam appetit cupiditate: nesciaque insidiarum, toto se induit ferro, quo non leviter convulserata, dolore furibundo, catenam ha-

mo

mo insignitam exedere conatur. Quod ubi frustrâ diu est molita, & interim acerrimis exagitata dolorib⁹, hûc illûc reciprocato, tenacissimèque infixo mucrone, in pelagi profundum mergitur. Tum omnem insidiatores funem laxant, variis hinc inde utribus, aere refertis, communitum.

§. VII. Balæna ad inferiora maris merfa, quiescit aliquantum; at enim quiescere cupiturientem, utres non permittunt: aëre tum ad sublimia ente. Instaurat iras bellua, velutque animalia sibi infesta, utres, ulciscendi animo persequitur. Fugiunt retracti, cum fune utres. Bellua inferiora pro more repetit. Hi rursus subvolant. Illa cum utribus retracta, horrendum dolet, tantoque sævit opere, immanes in sublime jaciendo fluctus, ut ipsum subter jurares stabulari Æolum. Fatigata diu bestia, & jam suis dejecta viribus, vel invita sequitur funem attrahentes, in proximâ cymbâ illâ remiges. Tum signo dato, suis piscatores appropinquant navigiis, mutuaque cohortatione, velut in præsentissimum armandi prælium, magnis animis, nec minore tumultu, clamore & clangore, feram aggrediuntur: illi jaculis, isti tridenti-

H 5 bus

bus bidentibusve, alii falcibus, securibus, venabulis, & sclopetis, ab omni parte circumdare balænam. Hæc animo imperterrito sustinere plagas, & horrendos fistulâ ejaculari fluctus. Illi propellere ad littus, diuturnis vulneribus, non sine vitæ periculo confodere, obthurare fistulas, novissimèque penitus conficere atque inter se dividere solent Mercatores atque Piscatores socii. Alium capiendi modum, Indi Occidentales, & illum quidem, majori cum periculo tum audaciâ conjunctum habent. Insilire quippe ex insidiis, ac inequitare ceto, post, immissis alrè festucis, fistularum opplere spiracula, & sic enecare solent belluam. Processum luculenter admodum depinxit apud Merianum, Gothofredus, part. I. fol. 13. West Indianisch Hist.


§. VIII. Vides inde, quid sibi illa apud Jobum velint, de Leviathan, verba. Difficultatem summam, non impossibilitatem balæne capiendæ atque interficiendæ indicant. Vivus nimirum in hominum manus, ægerrimè venit cetus: Indomita quippe feritas ipsius. Robur incredibile. Nemo eum aggredi, aperto Marte, audeat. Integras subvertit, nullo equidem negotio naves

ves. Imprimis verò navium nuper pī-
eatarum odore maximoperè alliciun-
tur ceti, ut approximantes navi, sese il-
li affricent. Nautæ, de submersione na-
vis, non præter rem meticulosi, picata
eis dolia, navim ut relinquunt, obje-
ctant. Ludunt & jocantur his, ceti, doli-
is. Annuatim capiuntur à *Batavis, An-
glis, Danisque in Græntlandia Islandiaque
confiniis*, numero haud parvo. Mare In-
dicum vastissimos nutrire dicitur. Re-
ferunt Historici, visas sæpè numero ba-
lænas esse, quarum oculi ac palpebræ
similes essent grandiori militis armati
capiti, casside ornato. Et Rondeletius
à SPERLINGIO citatus: vidi, inquit,
balænae mentulam tantam, quæ etiā à
procero homine gestata, utrinque ter-
ram contingeret, unde quanta sit, cum
balænae libidine concitatae feruntur,
conjicere oportet. Hinc reliquum me-
tiri corpus licet. Exaggerat suam, inde
Majestatem, gloriosus Conditor, exem-
plo Elephanti primùm, postmodò Ba-
lænae. *Quis igitur, inquit, resistere meo po-
test vultui?*

§. IX. Hæc hæc Genus de Ceto quo-
que. Quem veluti Elephantem, vel id-
eò præter alias causas, non licuit pro-
lixius describere, ac utriusque tum ge-
nera-

nerationem, tum vivacitatem, (quâ ad
 CCC. annos usque, neuter fere desti-
 tuitur, ex Zoologorum testimoniis)
 tum alia complurâ propria adnectere;
 quoniam id duntaxat evincendum
 nobis summus, ut per Behemoth,
 nil nisi Elephantum; per Leviathan
 verò nihil aliud, nisi Cetum intelli-
 gere oportere, ex Principiis ac rationibus
 Physicis demonstraremus. Meliora
 docentem tantum abest, ut aversemur
 nos, ut veneremur potius. Manifesta
 Dei opera sunt, & magnificianda sem-
 per. Si tanta in irrationali creatura &
 potestas & majestas; quanta demum
 in ipso fuerit Creatore? Adumbravit
 se in omnibus Numen, nec ullibi reli-
 quit intestatum. Nostrium est mi-
 rari, rimari, obsequi & ad-
 orare.

Δ. T. Θ.



DISPU-